



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput III. De ejus institutione, quòd Cantus, & psalmodia devotè
persolverentur, & de alacri ad Chorum festinatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

C A P U T III.

De ejus institutione, quòd Cantus, & psalmodia devotè persolverentur, & de alacri ad Chorum festinatione.

Quia prædictus Prior (ut cantus Ecclesiasticus in Monasterio suo pro divini cultûs augmento distinctè per sua tempora, ac humili voce persolveretur) inclinatus erat : idcirco restat dicendum, quomodo idem Prior in sua Ecclesia eundem instituerit : namque primus Prior prædicti Monasterij, ac ejus fratres (de quibus multi virtuosi actus supra plenariè conscripti sunt) ob multiplices labores (ut præfatum Monasterium tam in ædificijs suis, quàm in rebus reformarent) Horas Canonicas decantare minimè potuerunt ; piè à Domino DEO ordinatum est, quòd supra dictus frater Joannes Lüneman secundus Prior omnes horas instituerit de cætero decantandas. Itaque ut institutus cantandi & psallendi modus eò diligentius in dicto Monasterio observetur, aliqua de hoc dignum duxi præsentibus annotare : namque dum fratrum excitator pro divino cultu peragendo ad cellas pulsum faceret : hi cæligeni fratres carnis torporem à se excutientes in conscientia suâ maculam diutius jacere non audebant, sed custodis strepitum aure cordis sentientes tanquam à DEO vocati celeriter sese erexerunt, surgentes divinis laudibus animum præparabant. Per ultimum verò choralis campanæ sonum ad Divinum Officiûm peragendum vocati, omnes cum honesta velocitate (prout Religiosos decet) tanquam de thalamo sponsi alacres citissimè convenerunt, nec opus erat, pulsum aliquamdiu protelari, prout in quibusdam Monasterijs propter quosdam pigritantes carnem magis, quàm Spiritum adamantes, heu plurimùm fieri solet. Cùmque prædicti fratres in Choro convenerunt DEUM præ oculis habentes singula cum devotionis fervore tempora observando Horas Canonicas diligenter decantabant, psalmodiam etiam distinctè & humili voce absque saltibus ac duris extorsionibus depromebant : ut ergo in cantu ac psalmodiæ prolatione concors ac uniformis modus diligenter observaretur, hic versus, qui sequitur, reclinatorijs utriusque chori affixus fuit : *Auscultando cane, & simul incipe desine planè.* Ex-

G 3

plana-

planationem hujus versûs jam audi: Qui in Divino Officio cum alijs concorditer cantare voluerit, necessarium est, quòd primò per auditum suum vocem cantantium diligenter animadvertat, ut cum ipsis sive velociùs sive tractiùs cantandum fuerit, æquali spatio in cantando notam à nota ponat. Secundò, ut in omni pausa primam notam in reinceptione non præripiat, sed cum alijs uno eodémque tempore incipiat. Tertiò, ut quamlibet pausam terminet absque cauda, ultima etiam, prædictæ pausæ nota in ipso cantu modicum, brevius quàm cæteræ exprimatur, quæ tamen in fine, quando à cantu jam cessatur, semper paulò tractiùs proferri debet. In cantu etiam & psalmodiâ nullus vocem suam ultrà alios concantantes levet, vel deprimat subtùs alios, cùm decens sit, ut sicut fratres unius voluntatis ad DEUM esse debent, ita & pari modo in voce sint concordēs. Quibus prædictis observatis fit ut Conventus absque tædio & quodammodo sine labore delectabiliter & cum devotionis fervore Divino Officio possit interesse; & non solum ipsis hoc deservit ad suarum salutem animarum, verùm etiam à foris propter Divinum Officium in Ecclesiam adventantibus per tam devotam melodiæ prolationem devotionis incitamentum ministratur.

C A P U T IV.

Quàm distinctè devotus Prior suas horas persolverit.

PRænominatus Prior, ut eò attentius suas persolveret horas, nullam syllabam in persolvendo voluit transilire, ne per hoc Deum offenderet, ne etiam propter transilientias syllabas à dæmone (qui easdem colligere solet) graves post mortem pœnas sustinere cogeretur. Nam quodam matutinarum tempore me præsentē, cùm unus ex nostris in cantico Trium puerorum hanc dictionem *Benedicite* sinè advertentia duntaxat cum quatuor proferret syllabis, Prior hoc audiens, sonora voce præfatam dictionem distinctè cum quinque expressit syllabis; per hoc alium arguens, ut integraliter, quemadmodum teneretur, suas persolveret horas. Horæ etenim Canonice studiosè & devotè debent persolvi; & ratio est. Horæ Canonice debent
distin-